...iscus Ant.

Bryszkowski Joannis: Medela doloris

MEDELA DOLORIS

JLLVSTRISSIMO AC MAGNIFICO DNO,

D. PAVLO

A MAGNA STOK

STOKOWSKI,

CASTELLANO OSVECIMENSI,

DVM

Perillustri, & Magnifico Domino,

D. FRANCISCO ANTONIO STOKOWSKI,

Filio suo Carissimo Maximam Spem, ac exspectationem præseferenti,

PARENTARET,

Jn Ecclesia S. CASIMIRI, FF: Minorum, Strictioris Obseruantiæ, Cracouiæ;

Prompto Obsequio,

PORRECTA;

PER

M. JOANNEM BRYSZKOWSKI, *Philosophiæ, in Alma Vniuersitate Cracouiensi, Doctorem & Professorem.*

Anno Exorientis, inter Mortales Vitæ, M.DC. LXXII.
VI. Idus Maij.

CRACOVIÆ,
Apud ALBERTVM GORECKI, S. R. M. Typographum.

IN STEMMA ILLVSTRISSIMÆ DOMVS STOKOVIANÆ.



Herculeæ virtutis opus, cum Marte fecisset,
Procopius fortis, Lumina trina tulit.
En his Syderibus, iam nunc vmbracula ponit,
Feralis Clorho, quæ tegit omne decus;
Astra Serena tamen venient, post nubila Patri,
Qui grauibus factis Sarmatico orbe nitet.

Alexander de Malice Malicki, Aud. Phil.

ORATIO.

INfausta Anni vertentis, Tibi venisse primordia, ille tantum ignorat, qui causas doloris non sentit. ILLVSTRISSIME DOMINE, PATRONE COLENDISSIME. Quis enim infaustum Ianuarij non dicat exordium, quod gemitus graues, lugubres nænias, & funestis singultibus, permistas voces in primo adduxit ingressu. Inusitata quædam & animos percellens ista metamorphosis est! dum Sol annorum Parens circularem in puncto absoluit coronam, & ecce subitò gradum ad diros planctus facit violentum; cum ab his, qui nouas noui Anni parabant gratulationes, & prospera quæq; promptissimis votis precari intendebant, præter spem ad magnas complorationes, à lætissimi temporis applausu, ad lachrymas, à faustis acclamationibus, ad dolores processum est. Quàm subita hæc commutatio! quàm dira conuersio! & quam tristibus deploranda nænijs! cum atrox Proserpina florentem nuper, inter Nobilissimam pubem ACADEMICAM, non ætate minùs, quàm virtute sublimioris scientiæ Candidatum, vnicum stirpis tuæ Phœnicem, discipulum mihi gratissimum funesto exponit sarcophago. Mæstissimum profectò Patrem iure dixerim, qui post amissum annis superioribus fratrem amantissimum, post ereptam terris, non ita pridem sororem charissimam, cæterosq; iam à Marte furente, iam à senecta premente, iam à fatis vrgentibus, curis mortalibus exemptos, recens geminæ orbitatis vulnus, in dilecta sobole, Calendis Ianuarij, sensisti: Hunc tantum tamq; repentinum, funesti squaloris euentum, quotiescunq; mecum ipse reuoluo, & tam inopinatam Lunæ tuæ Eclipsim, tacitè recogito, temperare mihi non possum, quin in voces exsurgam lamentabiles, & exclamem; O miseram vitæ humanæ conditionem! ô incerta & lubrica mortalitatis curricula! ô fallaces spes nostras! ô dies Ianuarij infelices! ô fallentia vota! Siccine æquè Iuuenes ac senes quosq; rapit duri inclementia fati! O fatum, quid ita frequenter in STOKOVIANAM sæuiens Lunam, funestas serenanti inducis vmbras? Nonnè anno exacto totum tuæ malignitatis in eius clima effudisti furorem? adeòne tuus in Mœstissimos Parentes grassatur liuor, vt quæ sibi carissima sunt, illico eripias, & Familiam suam ornamentis maximis, spoliare non verearis? Nimirum, dum maturos sibi in pubescente Iuuentâ, tota Illustris Domus, certò pollicetur fructus, dum spes prægnantes, de sua indole concipit fidelissima pubis Sarmaticæ educatrix ACADEMIA, dum benigna verè credentium Mater Ecclesia, & carissima Patria, auitæ pietatis exemplo, fidei Orthodoxæ, ac Religionis suæ, voce, & manu strenuè olim propugnandæ expectant

ctant

ctant zelum, dum Respubl: merita Patris, in Filio intendit abundantiùs coronare, dum vniuersi consanguinitate, amicitia, familiaritate, & officio coniuncti, vberrima solatiorum incrementa, intimis cum apprecationibus præstolantur, & ecce fit, vt spectent non sine lachrymis, tanti Iuuenis casum & occasum. Miram sanè fatorum potentiam, sed & inclementiam sentimus, cum vel hodie primùm Laurus naturâ suâ incorruptibiles, Cedros immutabiles, Cupresis æquari, & sæuientis Libithinæ falci subesse discimus; cum illum Iuuenem, cui non longiorem modo vitam precabamur, sed & ominabamur, in ipso vernantis adolescentiæ flore, succisum mæsti intuemur. O quam Lugubris Catastrophe! quàm luctuosa Tragædia! Obijt siquidem Generosus Atauorum successor, obijt vnicus Phœnix, exemplar pietatis, Paternæ gloriæ hæres, amoris coniugalis pignus, cum summo Parentum, amicorum, & spectantium dolore. Clauduntur hoc tumulo, spes immensæ, non vnius fortunæ; huic saxo allisa, naturæ omina, Parentum vota, propinquorum desideria, Illustris & Generosæ Iuuentutis, studiosi affectus. Soluuntur (vt video) Lumina vestra, fletu Illustrissimi Parentes, atrox vulnus impressum cordibus vestris, doletis ob recessum filij, vmbris sepulchralibus destinati, non prohibent dolorem, amicorum oblectamenta, nec mærentia corda afflictis rebus patiuntur, vndecunq; adhiberi medelam; Ipsa hæc cinerum depositio, adeò triste facit spectaculum, vt oculi adstantium, sine vllo incitamento, grassante mærore sponte lachrymentur. Ast cum tandem flebilibus lamentis, aliquis ponendus sit modus, vel ob ipsam fatorum necesitatem, quibus nec Sacra, nec vota intercedunt, cùm virtus & animus, nunquam sepulchris obruantur, permittes, vel inde inculto Oratori, in meritis tuis, & vita filij contemplanda hærenti, conceptum dolorem mitigare, & tantisper à salsis lachrymarum imbribus viriliter temperabis. Certè tuus ille dolor, qui in hoc supremo honore, pijs manibus persoluendo cernitur, me in hoc lugubre euocauit theatrum, ac simul intimus in discipulum, officiosus in Mecœnatem persuasit affectus, vt pro virili aliquid verborum supremæ impenderem pietati. Excipes credo exiles conatus, illâ animi promptitudine, quâ serenus, fauensq; in affectus omnium cordaq; influis, & si oratio mea tanti operis ausus, non dignè fuerit assecuta, rei magnitudini potiùs, quàm meæ tenuitati condonabis.

Iustum equidem mouit Vobis dolorem Feralis Clotho, Parentes Illustrissimi, quando gratum oculis animisq; spectaculum, dilectam prolem illico rapiens, Vos ad vasta lachrymarum diluuia, pro eo fundenda cogit. Nec enim diffitemur demptum vobis cogitationum delicium, oculorum illecebram, ideóq; simul quibus aut necesitudo, aut gratitudo, pietasq; hoc ad feretrum diem dixit, adsumus luctuum socij, sed ita adsumus, quotquot vspiam gaudiorum fuimus, vt tantæ orbitati relictos Parentes, quibus possumus modis liceat consolari: Non vsq; adeò omnem humanitatis sensum omninò amisimus, vt ad obitum tantæ sobolis lachrymas non inueniamus! Iungimus lessos, sed non ita omninò, vt vllum hodie gaudij sensum animo

perci-

percipere piaculum fit; Næ ego ipse si calamitosæ, sorti legem dicere possem, mallem viuentem iucundè spectare, quàm nunc inuitos ad hilaritatem animare. At immutabilis lex illa, immutabile decretum fati; Nam exos licet, excors, & exsanguis sit illa Dea, at per cruentas cædes libere bacchatur, cæca licet sit, at in imis visceribus abdita, clausaq; inuenit. Surda sit, venit tamen non vocata; Nuda sit, tamen exuuijs REGVM, Heroum, Ducumq; grauis & onusta redit. Iners & barbara, suæ tamen artes sapientissimos etiam supplantabunt; Pallida licet sit, nunquam tamen fortissima mundi pertimescet, sed æquo pede REGVM postes, & angusta pauperum limina pulsat, subruit, & euertit. Quod si tantam videmus Parcæ sæuitiem, vt flecti nescia, precibus exorari nolit, quid miramur, quid stupemus, quod florentibus etiam non parcat annis, & imbellis Iuuentæ poplitibus insultet, cum tantò magis delicata, Magnorum Heroum germina, insatiabilis Diuæ prouocent orexim. Plenius ille lacteæ torrens eloquentiæ, qui Principis in Orbe populi Historiam, pari eloquentiâ & fide contexuit Liuius, Nummæ fuisse præceptum refert, vt Parentes filios decennio minores tot annis defleant, quot mensibus vixissent; Vos an diuturna decet mæstitia, qui meliore instructi conscientia, filium Vos scitis mortalem genuisse. Idem verò antiqui illi Sapientiæ Patres immortali, mortalitatis nostræ adita, oculo penetrantes, dum hominem apparens sæculi phantasma, vel ludibrium fortunæ, temporis spolium, vmbram tenuem, immo mortis opus, veritate stimulos extorquente aduerterunt, an non efficaciter ad ferendam mortis necessitatem, illustria Nomina hortabuntur? Hæc ipsa Altaria, lugubri colore tincta, tot exosas Principum Caluarias, Epicedia, picturas & Magnorum Heroum cineres monstrando, non magis prouocabunt lachrymas, quàm auocabunt; Magna hæc quidem & efficacia doloris concepti puto remedia, vel ipsius Catonis exemplo; *Nullam Maiorem Viri fortis posse esse virtutem inquientis, quàm mortis dolorisq; contemptum.* Sed Censorium illud veritatis assertum, tantò firmius Catholico sensu, Magnus ille Ecclesiæ Militantis Cherub, & Doctorum Augustissimus D. AVGVSTINVS, ad nostram recordationem stabiliuit, & vt deiectos ad mærorem vultus placidè componamus hortatur, cum inquit; *Bono, proboq; Iuueni, non posse infelicem, post fata conditionem contingere.* Et merito sanè, nec enim viuere in humanis desijt, quem æternitatis fastis sublimata cælo virtus inseruit. Quis verò dubitabit demortuam sobolem tuam augustam, illam vitæ ædem ingressam, quàm rectè factorum conscientia, vitæ innocentia, naturæ bonitas, præstans animus, Paternæ pietatis exempla, ac summa indoles, in illa ætate commendauit; quomodo obijt! quem stupenda pietas, cælo propè intulit, vexitq; ad sidera. Ac vt absint funesti aliqui portitores, succolantia virtutum agmina præsto adsunt; Facem cæteris præferat eadem, quæ viuenti præluxit infantia. Hic verò cuius alterius implorem fidem, quàm vestram Parentes Illustrissimi, non ambigo; quanquam intimos animorum sensus prouocare, non est illius quæ mihi suppetat fiduciæ, si tamen

men vel modicâ recordatione, posthumum istud animi iudicium quæsiuero, iidem vbiq; de mortuo dolentium sensus, concordi affectu sublatam, quererentur, quam in superstite amauerunt. Liquescit animus ipsa recordatione tantæ voluptatis, & subinde veretur, ne dum luctus auocare cupit, plures accumulet; Vix enim lucem hanc aspexit Infans Vester, & iam nitidissimâ innocentiâ vultuq;, ex quo miræ fluebant venustates Vestros oculos in sui admirationem rapiebat, vix molli nutricularum sinu auulsus, lentos gressus formare cœpit, & iam omnium spes, de sua indole animabat, vix pusillos artus in tenero corpore componebat natura, & iam nobili è vite vinum nonnisi generosum sperandum esse, magnorum index facies indicabat. Quàm tunc pulcher, quàm amabilis visu Parentibus, quæ gratia in aspectu, non conijcio, nisi qualem viderat alibi Pöeta.

Blandiloquus, nitidus, dulcis, pulcherrimus infans,
Deliciæ Matris, deliciæq; Patris.

Porrò emensis infantiæ annis, quisquis in eum oculos direxisset, vidisset indolem illam fronte serena, aspectu decoro venustam, incredibili sedulitate in eo defixam, ne animum aliter exhiberet, quam haberet. Et sanè non in irritum abiêre vota, Nam cum primis per ætatem imbui licuit bonarum artium rudimentis, iuuat meminisse, quo simul feruore deuotionis, quàm concitatissimâ voluntate conscientiæ, pietatis hauserit initia; qua demissione vestræ pietatis æmulus, ad Deiparæ Virginis cultum prouocârit, quam celer & festinatus in Iuuene virtutis cursus, quàm solers vbiq; ratio, ad occasionem & exercitium boni præcox, collectas in vnum dotes cuperet possidere. Vestrum hoc decus, & solatium singulare, quando beatæ æternitatis præferuidum competitorem, ad primæ ætatis crepundia, ita instituistis, vt his gradibus, idem virtutis, quod & ætatis principium habuerit. Nimirum vt ignis cinere coopertus quidquid admoueris subitò corripit, ita natiua indoles, ad egregia quæq; futurorum contemplatione intenta citissimè incalescit. Et hic sanè quam latus, lætusq; mihi aperitur campus ad cæteras animi, fortunæq; dotes, in filio spectandas, vel sola tanti Parentis meritorum contemplatione illecto, abundè intelligo; quas optimus quisq; beneuola propensione prensando laudaret, & omnis lingua quod dicat, inueniret. Nolo ego hic Illustris Tuæ Prosapiæ continuata per annos plurimos decora celebrare, non contendo, Auitum Genus tuum, in Regno Nostro clarissimum, in Prouincijs omnibus domi, forisq; fide meritis, laboribus, obsequijs pro Bono publico susceptis, REGVM, ac Principum reuerentiâ, in Ordinem vtrumq; tam Sacrum, quam profanum debitâ animi propensione, in ACADEMIAM beneuolentiâ commendatissimum orbi præsentare, ne cum Dædalo sublimia meditante, ipse mihi pondus sim & sarcina; Non commemoro, quæ olim Augustæ Familiæ, WIELOPOLSCIORVM, OPALINSCIORVM, STADNICIORVM, PIENIĄSZCIORVM, SMIGIELSCIORVM, PORĘBSCIORVM, aliæq; Sexcentæ Natiuâ

Insi-

Insignia Domui Tuæ insculpta esse voluerint, eo scilicet euentu, vt in vtroq; fortunæ lusu clarius nitesceret. Non refero discipulum meum illius Parentis filium obijsse, qui virtute, prudentiâ, arte, Marte, consilio, authoritate, sapientia, zelo, pietate, constantia, Serenissimis olim Regibus VLADISLAO, CASIMIRO, & nunc Inuictissimo MICHAELI extitit mire charus, quanquam & hoc deriuatæ claritatis splendore ad suæ virtutis commendationem intererat, cuius ipsum nasci sortem mortalitatis excessit. Quid ita! Non semper creari fortes fortibus & bonis, protulit quispiam, quidni & immortalibus immortales. Fit enim plerumq; vt Paterno Marti, filiorum succedat segnities, subeatq; nonnunquam generosæ stirpi, inertiæ dulcedo, & inuisa maioribus desidia sapiat posteritati. Enim verò Generosæ Prolis Tuæ, quàm dispar fuerit ab illis Cecropidarum, Lentulorum, Cetegorum funestis nominibus, & Paternæ gloriæ voraginibus, sed in omnibus solers, in virtute constans, in pueritia maturus, in actionibus aggrediendis felix; satius est cogitare, quàm loqui. Illo niti voluit Natalium splendore, illâ Nobilitatis prærogatiua clarescere, quæ omnium actionum Parens & veræ laudis stimulus, in infimis laudabilis, in Illustribus Viris magnifica, in Palatijs Regum & Aulis Principum habetur gloriosa illam sibi adsciuit qua meliùs fulsisset, quàm olim formosi Adonidæ Paridesq; quos indulgentior donis suis natura, ad infames Paphi scopulos condemnauit. Sed quorsum ego in his recensendis cõmoror? quid plura exaggero? quandoquidem boni Sanguinis claritatem, nulla, temporis diuturnitas, vel otiosa quies ita imminuit, vt assueta lucere, succedentem demum sobolem non illustret, mihi sufficiat bene humanioribus institutam, demortui Iuuenis indolem spectare, cui feliciter nasci, educariq; contigerat. Missus enim ad hanc Principem Regni Scholam, bonarum artium fontem, aut veriùs per Illustrissimum olim â Pieskowa Skálá WIELOPOLSKI, Palatinum Cracouiensem, Auunculum suum, â Parentibus, (de quo optima quæq; prudenti cogitatione diuinabat) impetratus, quàm placidè domestica lenocinia perosus puluerem scholasticum intrauerit, & citò ad stupendam maturitatem adoleuerit, testes horum appello fidelissimos Præceptores. Summatum in hoc Iuuene eluxit diligentia; indefessum discendi studium, sed & pura conscientia, vera probitatis æstimatio, insons vita, admiranda modestia, elegantia morumq; compositio tanta, qualem quæsiuêre multi, pauci assecuti. Ipsum hoc Polonæ Eruditionis caput ALMA VNIVERSITAS Nostra, naturæ bonitatem toties spectauit, intra cuius penetralia totum ætatis cursum laudabiliter consumauit, & ibi robur iuuentæ sensit, vnde Licinius iuratus literarum hostis, pestem se suxisse iniquè crepabat. Hic verò quo ardore tandem rei Literariæ intentus, pietatis, modestiæ, & humanitatis tenuit exemplar, non est difficile recensere. Gemmâ quippê latentis verecundiæ consignatus, & in hac Literaria Palæstra pares operum collegas sortitus, æquis ingenij, & eloquij passibus contentiosâ æmulatione, cui primas concessit? cum quantùm alij temporis

iussibus impenderent, tantum ille otium viui hominis sepulturam detestatus voluit, ijs literis imbui, quæ tanquam fidissimæ vitæ suæ altrices, non ad superbam ostentationem, sed ad virtutum omnium imitationem perutiles Paternæ gloriæ robur solidarent. Hac ille via, hoc virtutis calle Nominis claritatem augere studuit, eò huc remis velisque contendit, dum in te suadam, Tonsum, Mineruam, Gradiuum miratur, dum te animo prudentem, consilio promptum, iudicio summum, ore disertum vbiq; audit, & in acie Martem, in senatu oraculum toga sagoq; clarum intuetur. Ad hæc irritamenta velut stimulis quibusdam incitatus, gloriæ honoriq; tuo assurgit, & velut genuina Martis soboles, masculæ virtutis spiritum, ad Bellonæ tyrocinia sub signis Palladis concipit vehementer. Ita nimirum natiua indoles crescentis Iuli inter Anchisem Æneamq; suum, pectus illud angustum licet, ad similia cum tempore audenda erigebat, magnum aliquando Reip. subsidium futura, nisi (quod sine dolore commemorare non possum) inimica magnis mentibus valetudo inflammatum ardorem restrinxisset, & Martium illud pectus continuis morbis expugnasset. At sæuiat licet magnus liuor in corpus illud, quod ipsa nascendi hora ad ruinam destinauerat, intercipiat Parentum vota, & fatigare non cesset, quidquid ex male conuenienti elementorum tempore, non benè coaluit, animus tamen ille magnorum semper conscius & augur, nunquam deseruuit.

Vidit hæc (cuius imperium non sine manifesto Numinis fauore Orbi Polono contigisse fatemur) vidit inquam centuriatis illis, suæ Inaugurationis Comitijs in Iuuene nostro, generosæ mentis argumenta, ideoq; magnarum rerum capacem adolescentiam, inter intimos Aulæ suæ Cubiculares cooptari voluit, nisi adhuc ad ciuilem sapientiam, ad leges prudentiæ, Ethicis Politicis & Historicis præceptis, ac peregrini moris & oris elegantiâ ad vitæ Magisteria capienda, instituendam, benecupientes, sibi persuasissent; vt ab exteris reducem, Aula Serenissimi tantò paratiorem exciperet, Principum oculis, rara obsequij dexteritate certaturum exhiberet, & sic nouus ad Aras Annibal vsu serenitatis à prætexta ad sagum adolesceret. Sed cum hæc refero, quid aliud volo? quam acceptum ex obitu filij vulnus in animis vestris renouare, & contra fata, quæ tantam solatiorum messem inuiderunt, iustam Nemesim prouocare. Verùm neque hic illachrymari decet, Parens mæstissime, si cogitaueris, quod factis ipse magnus, gloriæ tuæ hæredem cælo transmisisti. Neque enim futura ætas depredicare cessabit, tuorum gloriam meritorum, quanta tu olim diligentia, fide & amore, qua promptitudine, quo affectu, sumptibus, impensis, & apparatu, quàm numerosis Cohortibus, à tot annis Reipub. gratificari studuisti, qua fortitudine, vna cum Germanis Fratribus ad Ostropoliam, ipse sanguinem fundens telis hostium factas cicatrices sustinuisti, quàm generosè stratos in acie cadauerum aceruos calcasti, quo robore ferocem fæderisq; nescium Scytham rebellem Casacum, & immanem Moschum fudisti, qua virtute Vexilifer adhuc Zatorien: Serenissimo CASIMIRO periculorum Comes, Sueticos impetus

petus, Regiæ huic impendentes, in tanto Patriæ discrimine sustinuisti; qua dexteritate in illo Ciuilium armorum concursu è voto Palatinatus Cracouiensis non Colonelli modò sed & optimi Ducis partes impleuisti, vt merito dicere posim cum Poeta:

Et pacem Bellona tibi dispensat & arma.

Certè vigebit hæc virtus tua labentibus sæculis, & æqua recordatione, viuentes è præsenti, & posteros è futuro, trahens in obligationem suæ immortalitatis architecta famæ immensitatem, nullis ætatum cancellis terminabit. Ast quo feror abreptus contemplatione Nominis tui, vltra muneris mei fines euagatus? redeo igitur, & vt amplius supremæ pietati parentare posim, filij occasum pedissequa comitor dictione. Nam cum institutioni suæ intentus essem, iniurius in Parentem & ingratus in Discipulum viderer si palpatam nuper pietatem, & cæteras naturæ dotes reticerem. Debet illi nostra gratitudo laudem, commendationem merita deposcunt, nec inuidia timenda est, quam suo candore vicerat, nec suspicio adulatiotionis spectanda, cum desierit, esse inter viuos. Et quid in Iuuene nostro desiderari potuit à quoquam? quod suæ indoli defuisset? an Præceptorum obseruantia, an modestiæ ac humanitatis officium? an illimis candor, pudicitia, affabilitas & cætera perfectæ virtutis ornamenta? quæ illum efficacius sola pulchritudine gustuq; laudis, quàm olim Theopompum calcar & stimulus ad sui amorem pellexerant. Nam si disciplinæ tanta vis sibi à Præceptoribus proponebatur, virtutis donum, vt vincat malitiam, voluptatem iugulet, cæcitatem illustret, ceruicem inflectat duram, & linguam frenet; hanc ille summo labore, conatu, studio ac diligentia comparauit. Si verecundia decus iuuentutis, nuncia bonæ spei, vitæ famæq; custos, virtutis sedes? hanc ille vnicè coluit, adamauit. Si modestia, honesti Parentis, Magistra prudentiæ, probitatis exemplar, pudoris nidulus, prohibens omne malum? hanc ille nunquam indeuium errorem præceps, constantisime obseruauit. Si continentia mentis illibatæ gemma, si sobrietas castitatis mater, humilitatis apex, vitiorum frenum, amicitiæ pacisq; serua? fuit hæc Iuueni nostro penitus congenita. Cætera virtutum semina, vel tanquam vitæ suæ decora in compendium collegerat, vel tanquam gloriæ incrementa, ad perfectionis exempla sedulò adiunxerat. Paucis dicam, tantum erat in illa ætate perfectionis studium, vt quæ nos aliquando sponte quærimus lenocinia, & tenaciter vtilium incuriosi complectimur, virile pectus in obsequium sibi reduceret. Pulchra sibi visa est Nobilitatis prærogatiua, sed sine fastu & supercilio; opportuna grauitas, sed sine contemptu; vtiles diuitiæ, sed ad egenorum necesitates subleuandas, non luxum; optanda sanitas, sed ad sui Creatoris cultum, concupitæ vires, sed non ad tumidos Gigantum ausus moliendos, forma demum, quæ sibi naturæ velut opes suas explicantis dono contigerat; generosisime ad muliebres animos relegata; & cum Pelleo iuuene repudiatum hoc fragile bonum, quod ipsa temporum vicisitudo lentè depascitur, consumitq;. Solet plerumq; (ine-

uitabilis enim hic scorpulus est) Iuuenilis animus, si præsertim fortunæ generisq; amplitudo suppetat, altos gerere spiritus; inflari, gaudere iactantiâ, & per inania vanaq; vento leuitatis abripi, cum vel maximè callidi susurrones blanda Sirenum propinando venena, incautos deliniunt illicito sermone, & Magnorum Heroum filios dura seruitute, cuius semitæ difficiles spinis vepribusq; consitæ, non esse cruciandos dolosè blaterant, & exinde honestatis naufragium subire compellunt. Apage hinc, proculq; sint versuti, Chameleontes, procul radix malorum, cæcitatis abyssus, arrogantia, procul illud subtile malum, contentionis stimulus, virtutum deprædatrix, honesti nouerca tinea pietatis, doli artifex mentis elatio. Nouerat siquidem eximius pietatis cultor, nullas voluptates nisi cælestes, nulla illicia nisi cælitus instillata Diuinæ probari Maiestati. Et hîc ego sedulam precum assiduitatem, Authoris sui cultum, pietatis in Diuos & proximum, pietatem illam, quam extremo nunc loco repeto, quid arctam in continuo morborum conflictu, medicis & præceptoribus inuitis, ieiuniorum obseruantiam, tacite prætereo. Ducebantur ab eo dies, non ludicris & diffluentibus illecebris, sed bonorum exercitio & malorum tolerantiâ, indoles illa formabatur. Non commemoro conscientiæ puritatem, quam vt nullis næuis aspersam haberet, frequenti confessione sæpius expiabat, Pane Angelico muniebat, & ne antiqui hostis insultu, benè instructa probitas infirmari posset, cautissimâ custodiâ excubabat, semper actionum suarum Iudicem Deum cogitabat, & maximam sceleratorum carnificem, potentiorem mille testibus testem illius arbitrio subijci volebat, semper V. B. & Tutelaris sui patrocinium implorabat. Illam tamen non minus stupendam quàm imitandam, in Augustissimam cælorum Imperatricem, fidem, pietatem, & vitæ temporalis contemptum silentio præterire nec possum nec debeo. Susceperas non ita pridem in medijs rigentis Brumæ algoribus, è voto iter ad Diuæ Virginis Neostudanensis ædem, illam cælestis, hoc sæculo, fauoris in Poloniam arcem, communeq; afflictorum receptaculum, & dum vota ex soluere paras, fit comes promptus inobsequium, tantæ Parentis Cliens, & velut alter Vlisses ad fumum Ithacæ anhelat tot fluctibus, procellis & tempestatibus ægritudinum agitatus, currit ocyùs, accelerat gradum, candidata cælorum anima, breui supernæ ciuitatis conciuis futura; & dum illud bonæ spei promontorium attingit procumbit ad maternæ pietatis viscera, in vultus suos, & ecce dum orat Mare illud gratiarum, vt quassatæ salutis asylum habeat & medelam, subit animum stupor, quàm constans animus & pietas in Deiparam exarserit, quàm subito dulcedine Mariani splendoris illectus terrena fastidire, & his carceribus vinculisq; corporis ocyus liberari postulauerit. Rogat vitam ad aras suæ Matris, quæ omnes victimas ademit Æsculapio, & impetrat è voto, sed vitam illam, quæ liberat molestijs, soluit difficultatibus, varietate casuum & scopulis ærumnarum, impetrat salutem, quæ nec morbis subuerti nec ægritudine concuti, conuelliq; possit, vitam immortalem & beatam. Nam sola beatos.

Hæc

Hæc facit, & diræ non timet arma necis.

Scilicet dum ex suscepto itinere redux quod plus pedibus quàm essedâ vectus confecit, hanc vrbem attingit, & ex viarum incommodis solito grauioribus morbis veluti migrationis suæ nuncijs agitatus sese ad quietem componit destinata cælis anima diu terram ferre non sustinens Idibus Ianuarij sexta noctis horâ in oculis Parentum dicam ne recessit, an ad æternitatem euolauit. O miram Diuinæ prouidentiæ rationem, dùm Parentes Illustrissimi temporalis vitæ quæritis subsidia tam studiosè, candidata immortalitatis anima tacito cum Maria pacto imperat æuiternam. Hoccine egisti o felix anima? Vt vitam ad desideria Parentum deposcens mori in lucro computares, Bene est, Parens mæstissime, abunde est, oportebat tam enixis precibus prolis tuæ, tam mitem affuisse Patronam. Quis iam immortalem negabit animam tanto suffultam Patrocinio? & quis feliciùs moritur, quam qui vixit altrici suæ, Bene est, abunde est, mori illa quem quam non sustinet quæ desuper maternitatis obtinuit Priuilegium, vt mori non posit qui sit suus. Felicem filium cui hoc salutare illuxit Sydus, non errabis, qui ad æternitatis Capitolium itineris tui prodromam hanc & directricem habes cynosuram. Felicem tibi Deo & Mariâ Duce gratulamur cursum, euitasti Charybdes Syrtesq́; qui ducente hac Polari Stella, fortunatas Insulas littusq́; beatæ Vitæ tutò attigisti. En quam potens pietatis manus, vt non possit animas si quæ cælo maturauerint profanis diu permittere terris, sed aurora in hesperum mutata radiantes ignes cum suo lumine in sublimes emittat orbes. Itaq; deponamus mærorem, & in tanti Iuuenis occasu glorioso cineri apparentissimæ humationis obsequio non luctu squallido parentare, religione ducamus. Non putemus obijsse eum, qui ita vixerat, vt constet mortem ei votum fuisse non pænam. Absterge lachrymas Parens amantissime, quod petitum è cælis Sydus matutinos præ gaudio relinquens ortus occidit tempori vt oriretur æternitati, id est nouæ quæ noctem ignorat diei. Maiorem induit lucem Sydus vestrum, cum ei clara præluxit Pharos. Obijt diem suum in terris, sed in illa vita quam horret auernus, nescit Epicurus, quæ affluit delicijs, expers est calamitatis, viuet gloriosus. Obijt vnicus Phænix vester, sed illico fragrantium virtutum strue conflagrabit. It Phænix ad solem suum, sed Pallida erubescet Parca quando succisus ille flos dabit odorem suauitatis, & è castis ossibus ibunt vernantes florum deliciæ. Desiste & tu Mater Charissima pudicos thalami partus deplorare, quia cælum recepit incorruptum sat felici talione quod tu corruptum genueras. It puluis in puluerem, sed spiritus immortalis capit immortalitatem. Desistamus nos omnes quicumq́; parui cineri spolio damnum hoc quod nec fletibus, nec arte nec ingenio compensatum spectamus, Parentum corda sauciare, desistamus cuncti qui huic obsequio parentamus optimi Patris in filio calamitatem deplorare, supremi Numinis voluntatem queri, obstringere, Tempus enim quod vitæ proborum Fata subtrahunt, adijciunt ad gloriam immortalem. Dixi.